CIPPUS ELOGIO SIGNATUS,

Atque

VIRO CLARISSIMO ET DOCTISSIMO.

DOMINO WENCESLAO JOHANNIDI,

Gymnasii Thorunensis Professori Publ.
& Visitatori præclarè merito,

Præceptori fidelissimo, dexterrimo, solertissimo,

A. 1701. Novemb. 20.

quæ fuit dies sepulturæ solennis,

A CLASSIBUS MAJORIBUS

in Memoriam

&

Testimonium debitæ Venerationis,

erectus & dedicatus.

EX TABERNA TYPOGRAPHICA THORUNENSI.

PRoh fatum! Parcæ quidnam nos fecimus atræ?
Quod scelus est nostrum? vel quæ tam fœda voluptas?
Quodque nefas? tantos quòd mente & pectore fluctûs
Sentimus? faciles nobis ostendite vultus.
Siccine nos fatuæ doctorum orbare Virorum
Præsidio vultis? quæ vos dementia versat?
Nocte dieque pias jaculamur ad æthera voces,
Vitæ Doctorum florem seclumq; precamur,
Effera sed nostri mors tanquam nescia Voti,
Non vult illa preces, sancta hæc admittere vota.
Falce viros potius queis parcere debuit illa
Percutit, in dando largissima vulnere sæpè est.
Excors! cur mittis stillantes felle pharetras
In Ludum? num Te lacrymæ, mala nostra juvabunt?
Dum rapis, & tollis rerum fandique peritum
Quando rapis Lingvæ Hebrææ Græcæque Magistrum
Et vatem promptum calamo, qui facta canebat,
Annon de nostris se volvet flumen ocellis?
Cum cecidit nostræ Dux, Luxque Decusque Palæstræ.
Ferreus est, hæc quem non tangunt grandia damna.
Quis non ingenti replebit pectora luctu?
Fata darent quodsi in lacrymas dissolvere membra,
Tum vix possemus damnum deflere molestum.
Proh qualis fuerat Virtus, quàm clara Magistri!
Gymnasii, doctas quâ condecorare solebat,
Musas, ornabat perdocto & ore Cathedram.
Nec satis id fuerat mens illi vitaque sancta
Et pietas, candor, temeratus crimine nullo,
Non sumus en primi, qui talia dona Magistri
Cernimus, hoc omnes, parvi, magnique fatentur.
Omnes dicamus: *Cecidit Lux clara Coronæ*
Gymnasii nostri Doctorum, nobile membrum.
Filum abrumpendum est. Sub pondere crena fatiscit
Atque Tibi potius, Præceptor, vota feramus.
Exanimem Te qui conclusum cernimus urnâ,
Olim cernamus, vivum inter sidera Cœli.
In Regno Domini, regnes per secula felix,
In quo, nec morbi, nec Te crux impetet ulla.
Donec erit pretium pietati, lausque labori,
Tu pretium referes, Tu præmia maxima carpes.
Semper honos, nomenque Tuum, laudesque manebunt.

Ita Pietatis Officium exequeb.

AUDITORES SUPREMÆ CLASSIS.

INduit, & meritò, Musarum strenua turba
    Luctus, sancta domus Palladis orba gemit.
Cessarunt lætæ voces & gaudia gentis
    Pieridum, deflet docta Cathedra Virum.

Ab-

Abjecit pecten Musarum Præses Apollo,
    Chorda silet, muta est illa sonora chelys.
Et Fons Pegasidum lacrymarum flumina fundit,
    Non undas, quales fuderat ille prius.
Atra tegit nubes Pindos & condolet altus,
    Illis Parnassus, dissiliuntque juga.
Quæ causa est tanti luctus? quæ causa dolendi?
    Vir cecidit, meritis, artibus, ore, gravis.
Credo, Cecropiæ Pater hunc & Conditor Urbis.
    Quodsi vidisset, diceret esse suum.
Diceret esse suum Civem, cuperetque vocari,
    Attica sic fuerat cognita lingva Viro.
Viva dedit documenta sui, dum cara Juventus,
    Hoc Duce, scribebat carmina Cecropia.
Illa & compta satis, nec verbis sqvalida vulgi,
    Quæ vellet magnus Pindarus esse sua.
Regius hæc vidit Mons, legit Sandius ingens
    Bernardus Senior, vidit & obstupuit.
Et dixit: *Pudeat te barbara Græcia, cultum*
    Condere vix hodie tale Poëma potes.
Discipulus doctus docti vigiliisque Magistri,
    Testis & est index, estque Corona sui.
Unica cura Viri fuerat, quo crescere posset
    Virtus, & ruditas cederet ex animis.
Nec satis hoc; pulchrè vitâ præluxit honestâ
    Discipulis, nobis & fuit illa pharus.
O utinam porro nobis luxisset! at ecce!
    Sublata est, cessat spargere & illa faces.
Conditur in tenebris, tumulique subintrat arenas,
    Corpore, verum animo possidet ille polum.
Dormi securè, post casus postque labores,
    Donec conjungat membra animumque DEUS.
Nos tua turba tuum Nomen celebrabimus ultrò,
    Hungarus & Prussus te vehet ore suo.

Ita dolent

CLASSIS PRIMÆ AUDITORES.

MEnsibus exactis veluti declivior annus
Ad finem tendit properans pernicibus alis;
Sic exantlato præsentis tempore vitæ
Post fragiles in carne moras, quas fata dederunt,
Conjunctasque fera cum tempestate procellas,
Attingit mortalis homo spatia ultima vitæ.
    Ecce! favente polo vitæ diuturnior usus
Contigerat tibi, morte pia defuncte Professor.
Nunc, quia non licuit vitæ transcendere metam,
Ossa tepor calidus vita exspirante reliquit.

Omni-

Omnipotens Numen, quod curat Gymnada, Sanctos
Distribuens meritis in Apollinis agmina falces,
Te voluit nostri vitam tolerare sub umbra
Gymnasii, & divæ proponere Palladis artes.
Placmata Japetidis variorum scrinia Vatum
Commemorant tectumque latet sub cortice verum.
Scilicet ex glebis homines finxisse Prometheus
Traditur, & movisse lutum vitalibus auris.
Ille potestates herbarum usumque medendi
Et medicæ artis opem, morbo relevetur ut æger,
Ostendit, rursus miseris mortalibus ignem
Attulerat, post Caucasea sub rupe ligatus,
Diripuitque jecur rostro Jovis Armiger ales,
Ast nocturna quies sanaverat ulcera semper.
Fabula, quam dedimus, res est complexa latentes,
Et istis umbris renitent radiantia lucis
Lumina, dum clari se sistit imago docentis.
Nam dum Præceptor studiis informat & arte
Attonitasque piis demulcet vocibus aures,
Moribus erudiens homines formare putandus,
Ut qui Mercurios ex crasso stipite fingit.
Fert animis Præceptor opem, dum vulnera sanat
Verbis quo morbus purgata mente recedat.
Ingeniisque faces præfert Juvenilibus, illa
Inflammans veros monstrans rationis & usus,
Sed tamen hic sentit morsus, velut ille Prometheus,
Dum labor exhaurit vires, & cura recursans
Atque catenato conjuncta molestia nexu.
Tu, defuncte Pater, tenui cui Musa parentat
Carmine, Tu Curator eras, tituloque Professor.
Deliciis Musæ Grajorum scripta Latinæ
Junxisti, enucleans tenebris caligine tecta.
Jam mutas Cathedram fatali lege vocatus,
Accipis in cœlo victricis munera Palmæ.
Debita sed pietas imis infixa medullis
Quod tibi condet ebur? statuas in corde locamus.
Dum studiis constabit honor, dum Vistula lambet
Thorunii ripas, constans tua fama manebit.

Sic parentabant Manibus
Optimi Præceptoris
AUDITORES SECUNDÆ CLASSIS.